



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Cultu Sacrosancti Cordis Dei Ac Domini Nostri Jesu Christi

Galliffet, Joseph de

Romae, M.DCCXXVI.

Cap. IV. Excellentia tum virtutum quas Cultus Cordis Jesu complectitur,  
tum fructus qui ex ejusdem praxi colligitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45817](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45817)

ti capite excitare conati sumus? tum, utrum religionis officium, quo id unum spectatur, ut pii ejusmodi sensus in animis nascantur, natiq̄ue alantur & augeantur, solidum sit, veræque pietati consonum, dignumque quod ab Ecclesia universali recipiatur? Denique an non deceat ejusmodi pium officium publicum reddi, cujus nimirum ope, Fideles ad tam sanctos erga Jesum affectus excitari possint? Quemadmodum enim certi dies ad Christi Domini passionis memoriam celebrandam ab Ecclesia consecrati sunt; in quibus opprobria ab amantissimo Redemptore pro nobis suscepta, peculiaribus adhibitis honoribus publice compensantur: ita consentaneum prorsus erat, certos dies pari ratione decerni, in quibus similiter injuriæ, ab eodem in Altaris mysterio acceptæ solemniter quoque sarcirentur. Quum certum sit Jesum in Eucharistiæ sacramento instituendo, non minorem nobis dilectionem exhibuisse, quam quum pro nobis mortuus est: nec minora in hoc eodem Sacramento tolerasse, quam quæ passionis tempore toleravit.

Atque hæc demum de excellentia finis hujus SS. cultus erga Cor Jesu dicta sufficiant.

## CAPUT IV.

*Excellentia tum virtutum quæ cultus Cordis JESU complectitur, tum fructus qui ex ejusdem praxi colligitur.*

**H**æc sunt duo posteriora capita, unde excellentia cujuslibet pietatis officii certo dignosci possedi-



dictum est. His porro explicandis, nihil jam opus erit immorari diutius, quum ex iis omnibus quæ hæcenus exposita sunt, clarissime intelligi possint. Quod enim pertinet ad virtutes, quas cultus Cordis Jesu completitur, liquet eas esse perfectissimas: ubi enim aut fides, aut charitas, aut religio præclarius perfectiusve exercentur? Siquidem universus cultus in eo demum consistit, ut Dominum Jesum frequenti adoratione, amore, gratiarum actione, omni denique officio prosequamur, de injuriis illi inflictis doleamus, eisque quacumque licet via, abolendis ac compensandis omniconatu ac cura incumbamus: Sacramenta in hunc finem frequentemus: templa adeamus: expiationem voluntariam adhibeamus: preces huc pertinentes ex impectore fundamus. His, inquam, actionibus, his virtutum exercitiis totum hoc erga Cor Jesu officium continetur, ac circumscribitur. Sunt autem hæc, ut apparet, non vanæ ceremoniæ, non signa vacua exterioris pietatis, non ostentus vani, oculis hominum perstringendis, aut auræ populari captandæ accommodati; nihil denique in his reperire est quod ulli cupiditati servire possit; cuncta solida sunt, cuncta interiora; cuncta sancta, cuncta pietate christiana dignissima: adeo ut, in eo quidem genere, nihil sincerius, nihil solidius, nihil sanctius, nihil Deo ac Christo Jesu dignius esse posse videatur.

Jam ad fructum quod spectat ex hoc officio capiendum, excellentissimum esse convincitur; non solum harum virtutum contemplatione, quas modo di-

Q3

ximus,



ximus, quarum videlicet exercitatione animam infinitis gratiis ditari necesse est; verum duabus præterea de causis, quas obiter attingere juvat.

Primum, quia vix fieri potest ut quis se assidue in cultu Cordis Jesu exerceat, quin brevi totus amantissimi Redemptoris amore accendatur. Hic est enim hujus officii fructus maxime proprius, ut facile intelligi potest, tum ex ipsa officii natura de qua dictum est, tum ex usu & praxi de qua postea. Idem vero evincitur animadversione sequenti: duplici nimirum via, amorem Jesu adipisci omnino possumus. Primo Dei mera liberalitate: quum ille scilicet vel precibus nostris exoratus; vel opus aliquod ad sui gloriam præstitum munerandi causa; amorem illum, munus omnium maximum misericorditer elargitur. Tum labore nostro accedente semper auxilio gratiæ; quum nimirum ea media adhibemus, quæ natura sua ad amorem Jesu in animis procreandum aptissima sunt. Qualia esse constat in primis, consideratio amabilissimarum Jesu perfectionum, ejusdemque in nos amoris ac meritorum recordatio. Jam vero affirmare sine dubitatione possumus, nullum esse pietatis officium, quod duplicem hunc amoris Jesu consequendi modum luculentius complectatur, quam cultus sacrosancti Cordis Jesu. Sive enim divinum hunc amorem procreari velis consideratione amoris Jesu erga nos, ejusdemque beneficiorum; nulli plane officio ejusmodi consideratio magis convenit ac propria est, quam huic ipsi de quo tractamus: quod ex superioribus duobus capitibus ma-  
ni-



nifestum est. Sive amor Jesu fuis ad Deum precibus obtinendus sit: nihil cultores Cordis Jesu ex officio, tam frequenter, tamque acriter petunt, quam amorem Jesu: hic est votorum scopus præcipuus: huc cætera omnia referunt. Sive denique ratio habeatur operis Deo grati, quod Deus dono illo pretiosissimo muneretur; perspicuum est ex iis quæ toto hoc libello continentur, cultum Cordi Jesu adhibitum, opus esse Christo Jesu gratissimum.

Unde ulterior etiam ratio desumi potest, ad ostendendum officii hujusce fructum non posse non esse maximum. Quum enim constet ex revelatione illa supra memorata, eos qui cultum propositum amplectentur, rem gratissimam Christo Jesu facturos; quemadmodum ipse disertis verbis significavit: dubium esse non potest quin eos amantissimus Dominus liberalissime remuneraturus sit. Certe promisso tenetur, fidemque obligavit suam, his verbis: *Spondeo eos omnes qui hoc honore Cor meum afficient, ipsius divini Cordis influxu cælestium donorum copia* (quorum præcipuum amor Jesu est) *fore cumulandos*. Verum, ut nulla sit hæc promissio: certe officium erga Cor Jesu natura sua ejusmodi est, ut ejus assidua exercitatione cuncta impetrare a Jesu benignitate possimus. Quod hac unica consideratione persuaderi potest. Si tempore passionis Christi Domini, quum ille ab omnibus derelictus, & in manus inimicorum traditus, tam dira patiebatur; unus aliquis e discipulis inventus esset tam fidelis qui se palam ejus discipulum professus esset, gloriæque duxisset,

set,



set eum magistrum ac Dominum agnoscere: si ab  
ejus latere non discedens, suasque lacrymas cum Jesu  
lacrymis miscens, dolorum ejus & ignominie socius  
particepsque fieri voluisset; omnique ope Dominum  
patientem sublevare conatus esset. Quid putas, hanc fi-  
dem pietatemque in Corde Jesu omnium cordium gra-  
tissimo ac beneficentissimo effecturam fuisse? Qua de-  
mum gratiarum coelestium copia, ejusmodi discipu-  
lum remuneraturum fuisse credendum est? Jam vero  
considerandum, ea quae olim Jesus passionis tempore in-  
digna toleravit, hoc tempore adversus eundem in al-  
tari Sacramento latentem quodammodo renovari, uti  
capite superiori descriptum est. Hic enim, a suis quoque  
derelictus, repudiatus, pulsus, contumeliis jactatus, in-  
juriis denique omnibus appetitus fuit; atque etiam num-  
multis in locis appetitur. Hoc igitur statu, si aliqui fi-  
deles discipuli reperiantur, qui Jesum suum tam male  
habitum contemplantes, intimis sensibus commoti,  
omni ope conitantur, caeterorum negligentiam ac ve-  
cordiam; diligentia sua, honoribus, omnique genere  
cultus abolere, sarcire, compensare: quod aliud de-  
mum officii genus esse potest Christo Jesu acceptius; &  
quo certius illius voluntatem aut gratiam nobis deme-  
reri possimus?